

tollendum, in causis concludendum et ad allegandum, sententias et precepta audiendum et dari petendum et ab ipsis et quibuscumque aliis gravaminibus illatis et inferendis appellandum et appellationes prosequendum, appellatos petendum et renunciandum et ad recipiendum et de eo quod receperint finem et quietationem faciendum de iure uallituram cum rogatione notarii, pene adiectione et bonorum ipsorum obligatione. Et generaliter ad omnia alia et singula faciendum, gerendum, exercendum et operandum, que in predictis et circha predicta et ab eisdem dependentibus et conexis et prorsus extraneis fuerint necessaria, utilia et opportuna et que quilibet ueri et legitimi syndici et procuratores facere et exercere possent ac si ipsimet constituentes facere possent si personaliter interessent, promittentes se ratum, gratum et firmum habere perpetuo totum et quicquid per dictos eorum syndicos et procuratores uel maiorem partem ipsorum factum fuerit in predictis omnibus uel aliquo predictorum, sub ipoteca et obligatione omnium ipsorum bonorum presentium et futurorum, uolentesque sepedictos eorum procuratores et syndicos ab omni onere satisfactionis releuare, fideiubendo pro eis de predictis in omnem casum et euentum, promiserunt michi notario infrascripto, stipulanti et recipienti uice et nomine omnium quorum interest uel interesse poterit, de iudicio sisti et iudicato soluendo.

Actum Spaleti in palacio comunis, presentibus ser Çucio Buchamaioris de Ancona ciue et habitatore Spaleti, Marino Stasioli et Utollo Drasoeuich testibus, et aliis, et Marino Laurentii examinatore.

XXIV

1359, 12 luglio.

IV, III, 39/51 v.

(*Protocollo c. s.*): Die XII iulii. Crestolus Petri Papalis, tamquam syndicus comunis et hominum ciuitatis Spaleti cum consensu et uoluntate domini Ladislau iucarii et totius consilii generalis, fuit confessus et contentus fore ipsi comuni integre solutum et satisfactum a Madio Miche et Johanne Peruosclavi, emptoribus reddituum insule Solte, de libris mille paruorum, quas ipsi prefato comuni dare tenebantur pro afflictu huius primi anni insule supradicte, de quibus fecit eis finem et quietationem etc. Actum in palacio comunis, presentibus Çutio Buchamaioris et Francisco Damiani testibus, et Marino Laurencii examinatore.

Die, testibus et examinatore predictis. Madius Miche et Johannes Peruosclau, emptores reddituum insule Solte, fuerunt confessi et contenti esse debitores et dare debere ser Duimo Bertani et ser Teodosio Leonis